

batem vel monachos causas habuerit, liceat eis apostolicam expectare audientiam, si sibi placuerit, sive pro magnis sive pro minimis. Ubi abbas ipsius loci morte defecerit, de se ipsis^a monachis sibi cum timore Dei abbatem precipiant sine ullo consultu regis aut episcopi aut ullius principis. Electus autem in ipsa sua sancta regali ecclesia per manus episcopi ordinetur. Nec presumat episcopus, quod a quibusdam fieri audio, ibi frequentius incursitando^b manere aut abbatem ad se pro quibuslibet negotiis accessere^c nisi sinodi gratia. Si quis ingenuus aut servus domini fugiens aut alicuius criminis reus portas abbatiæ illius ingredi poterit, absque terrore ibi erit, nec ulla potestas eum invadere aut abigere inde poterit; et ibidem, si monachus illic^d commigraverit, quantum abbati ipsius loci placuerit, sine calumnia ibi sit. In cuiuscumque terra aut parrochia monachi illi vineas habuerint vel semina iecerint ad suos usus, nulli mortalium aut cuilibet alicuius ecclesiae decimam aut alias consuetudines reddant, sed ipsi ea^e ad usum hospitalitatis et eleemosine^f habeant. Debitam consuetudinem mercis aut telonei in omni regno tuo vendentes et ementes non reddant. Haec omnia, charissime^g, ut in perpetuum rata sint, per nostram vestramque auctoritatem^h imperamus. Et si quis hanc nostram auctoritatem^h violaverit et haec cognoscens non poenituerit, ex beati Petri et nostra auctoritateⁱ aeterno anathemate feriat^r et morti perpetue tradatur; obedientes autem beati Petri et beati Martini iuvamine a malis eruantur. Vale, charissime^k.

Ego itaque Rodulfus^l, profectus^m rite pro quibus eram Romamⁿ, rediens et regi hoc apostolicum regium privilegium referens, inveni eum apud Floriacum cum maximo conventu episcoporum ibique coram pontificibus et rege dicta apostolica relegens dixi omnibus, qui aderant: 'Audistis, fratres chrarissimi^o, praecepta principum terrae, quibus non est fas contraire. Date ergo assentiam^p vestram et vos; auctoritate^q eorum sine resitatione^r debetis etenim facere, nam quidquid episcopi possident apostolico et regio

a) ipsis monachis] *eine Aenderung in ipsi monachi ist überflüssig.*
b) incursitando] in visitando. c) accessere] arcessere. d) illic] illuc.
e) ea] eas. f) eleemosine] elemosine. g) charissime] carissime.
h) auctoritatem] auctoritatem. i) auctoritate] auctoritate. k) charissime] carissime.
l) Rodulfus] Radulfus. m) profectus] perfectus.
n) Romam] Romae. o) chrarissimi] carissimi. p) assentiam vestram] assensum vestrum.
q) auctoritate] auctoritate. r) resitatione] hesitatione.